



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**EVANGE=||LIA || QVAE CONSVETO || MORE DOMINICIS ET ||  
alijs Festis diebus in Eccle-||sia leguntur**

**Aemilius, Georg**

**COLONIAE, 1555**

In Die S. Michaelis Archangeli. Evangelivm Mat. XVIII. Cap.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69317](#)

EVANGELIA

IN DIE S. MICHAELIS ARCHANGELI

EVANGELIVM MAT. XVIII. CAP.

ARGUMENTVM.

Simplicitate iubet pueros imitemur Iesum:

Quantaq; concilient scandala damna, moni-

**H**ora fuit quando magna stipante ceterua  
Discipuli Christum tali sermone rogabant  
Omnia qui nosti, praesentia, facta, futura,  
Dic age, nec pigeat nobis aperire Magister,  
Caelorum in regno quis nam sit maior habendus.  
Audijt orantes, puerumq; accersit Iesus  
Viribus atq; animis tenerum, membrisq; pusillum  
In medio statuens, responsaq; talia dicit:  
Hoc uerè affirmo, per summāq; numina testis,  
Vos nisi conuersi planè fueritis ab imo,  
Et pueris facti similes, uelut iste, pusillus,  
Mens quibus est simplex, mudiq; ignara malorum,  
Non dabitur uobis caelestia regna subire,  
Quicunq; ergo libens humilem se fecerit ipsum  
Pectore demissso penitus, ceu parvulus iste,  
Maior erit summa regni cælestis in aula.  
Nomine quiq; meo puerum susceperebit unum,

Recta docens illum, factisq; ad honesta gubernans  
Huic ego gratificans me suscepisse putabo.

Quisquid

## FESTIVALIA.

Quisquis at è paruis credentem offendereit unum,  
Huic melius longè fuerit perferre molarem  
A collo lapidem, pontiq; sub aquora mergi.  
Væ nimium mundo tam scandala dira mouenti  
Criminibus uarijs: quanquam fieri illa necesse est,  
Væ tamē huic homini per quē mala scandala fient.  
Est enim peccans alieni criminis autor,  
Exemploq; suo plures facit esse nocentes.  
Si te fortè manus uel pes offenderit alter,  
Hunc absconde secans, & proijce, ne mage lēdat.  
Est melius uitam tibi namq; intrare perennem  
Corpore truncato, manibus pedibus ue resectis,  
Omnibus ac membris aeternos ire sub ignes.  
Sic oculus quando mala te per scandala lēdit,  
Erue continuò, terræq; illide nocentem,  
Nec te fallaci seductum lumine perdat.  
Est oculo melius si cœlum intraueris uno,  
Tartara luminibus quam cœca subire duobus.  
Ne mihi de paruis aliquem contempserit ullus,  
Dico etenim uobis, quod cuilibet additus horum  
Angelus in cœlo summi uidet ora parentis.

## EPISTOLA DE ANGELIS.

Ex Apocalypseos Cap. XII.

T 2 ARGV.